Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ritatis lumen non inveniunt et quod
deinceps agere debeant non agnoscunt.
Omne quippe peccatum quod tamen peni-
tendo citius non tergitur aut peccatum
est et causa peccati. aut peccatum et
pena peccati. Peccatum namque quod
penitentia non deletur ipso suo pon-
dere mox ad aliud trahit. Unde fit
ut non solum peccatum sit. sed peccatum
et pena peccati. Ex illo quippe vitio
subsequens culpa oritur. ex quo ce-
cata mens ducitur ut peius ex
alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato
oritur non iam peccatum tantummodo
sed peccatum est et pena peccati. quia
iusto iudicio omnipotens deus cor pec-
cantis subnubilat ut preceden-
tis peccati merito etiam in aliis
cadat. Quem enim liberare nolu-
it deserendo percussit. Non ergo in-
merito pena peccati dicitur quod iusta
desuper irrogata cecitate ex pre-
cedentis peccati ultione perpetratur.
Quod videlicet agitur dispositione superna
ordinata sed intus iniquitate
confusa. ut et precedens culpa
sit causa subsequentis et rur-
sum culpa subsequens sit pena
precedentis. Quod bene in infidelibus
et lubricis paulus quasi quoddam
semen erroris aspexerat cum
dicebat. Qui cum cognovissent
deum non sicut deum glorificaverunt
aut gratias egerunt sed evanuerunt
in cogitationibus suis et obscura-
tum est insipiens cor eorum.
Sed quid ex eius erroris semine
pullulavit illico adiungit
dicens. Propter quod tradidit illos
deus in desideria cordis eorum in im-
munditiam ut contumeliis af-

ficiant corpora sua in semetipsis.
Quia enim cognoscentes deum pec-
catum superbie intelligendo commi-
serunt. cecantur etiam ne intelligant
quod committunt. et qui intelli-
gentiam suam sequi noluerunt in pec-
cato et causa peccati. et ipsum
lumen intelligentie perdant in
peccato et pena peccati. Prioris ergo
peccati merito peccatorum subse-
quentium fovea tegitur. ut qui
malum sciens perpetrat dein-
ceps etiam iuste in aliis nes-
ciens cadat. Hoc quippe agitur
ut culpis culpe feriantur. quate-
nus supplicia ipsa fiant pec-
cantium ipsa incrementa vitiorum.
Nam quia omnipotens deus ad pe-
nitentiam tempus indulget.
quod tamen humana malitia
ad usum sue iniquitatis in-
torquet nimirum iusto iudi-
cio dei augeri culpa permittitur
ut ad feriendum quandoque
altius quoque cumuletur. Hinc enim
rursum de quibusdam paulus
apostolus dicit. Ut impleant
peccata sua semper. Hinc voce
angeli ad iohannem dicitur. Qui no-
cet noceat adhuc et qui
in sordibus est sordescat ad-
huc. Hinc david ait. Appo-
ne iniquitatem super iniquita-
tem eorum et non intrent in ius-
ticiam tuam. Hinc rursum
de domino ab eodem psalmista
dicitur. Immissiones per angelos
malos iram fecit semite
ire sue. Cur quippe dominus priori-
bus meritis aggravatum ius-
te permittit etiam subsequen-